

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Henrici Hottingeri Henr. ex Henr. Nep. S. Theologiæ &
Antiquitat. Jud. Acad. Marburg. Prof. Ord. Typus Doctrinæ
Christianæ In Usus Institutionis ...**

Hottinger, Johann Heinrich

Francofurti ad Moenum, Anno MDCCXIV.

VD18 12542598

Caput XVII. De Legibus Civilibus Sub Oeconomia Mosaica.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216057

inutile tradunt, uti Jer. XXXI, 31-35. unde Paulus quoque Hebr. VIII, 13. Testamentum Vetus *ἡ παλαιὰ διαθήκη* probat. Etiam Daniel elapsis LXX. septimanis sive Messia manifestato sacrificium & fertum abrogandum præfatus est, cap. IX, 27.



CAPUT XVII.

De

LEGIBUS CIVILIBUS SUB OECONOMIA MOSAICA.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Alteram Legum
arbitrariarum
speciem constituunt
civiles. §. I.

Quæ aliis civilibus
excellentes, quo-
niam à cælesti Rege
data sunt. §. II.

Qui quoque eas genti
Judaicæ rectè tulit,
quippe ejus Rex e-
rat. §. III.

Unde constat formam

Regiminis Judaici
Theocraticam di-
cendam esse. §. IV.

Quædam ex iis statum
domesticum, aliæ
publicum concer-
nunt. §. V.

Ad statum domesti-
cum referuntur
conjuges, liberi,
servi. §. VI.

Conjugium ex præce-
pto Dei ineundum
esse

Bb

esse statuunt Hebræi.
§. VII.

Conjugium inituri selectum personarum instituere debebant. Neque enim iniri poterat cum prohibitis Lev. XVIII. nisi in casu fratris absque liberis defuncti: Nec cum parte infideli, saltem in infidelitate manente. §. VIII.

Tenebatur in matrimonio contrahendo hic modus. Fiebat Desponsatio: Dabatur dos & sponsa in ædes sponsi introducebatur §. IX.

Jura liberorum: Hi obedientiam Parentibus debebant. §. X.

Et post parentum mortem in bona succedebant. Primogeniti duplam, natu mi-

nores unam tantum portionem accipiebant. Filiis deficientibus succedebant Filia. Deficientibus his fratres, dein patruus aut denique proximi consanguinei. Excipiuntur duo casus. §. XI.

Servi, qui quoque ad statum domesticum spectabant, erant duorum generum, Hebræi & Cananæi §. XII.

Illi servi facti aut quando seipso vendebant, aut quando vendebantur à Magistratu, aut denique quando vendebantur à Parentibus. §. XIII.

Leniter habebantur. §. XIV.

Et certo tempore liberi dimittebantur §. XV.

At Cananæi & duriter

ter trad
perpetuo
XVI.
Jura merc
§. XVII.
legantur
illicum
ceruente
quadam
paci obt
respicieb
deos: Al
belli. §.
Tempore
rel Ma
rel subd
ant. M
rel sum
ges fereb
alternus.
Qualis pri
§. XX.
Postea illi
tur LXX
Qui etiam
tempore
I. & II
Iudices
que syne
mine ve
XIII

ter tractabantur & perpetuo serviebant
§. XVI.

Jura mercenariorum.
§. XVII.

Sequuntur leges publicum statum concernentes, quarum quædam tempore pacis obtinebant, & respiciebant Judæos: Aliæ tempore belli. §. XVIII.

Tempore pacis leges vel Magistratum, vel subditos spectabant. Magistratus vel summus, qui leges ferebat, vel subalternus. §. XIX.

Qualis primo Moses. §. XX.

Postea illi adjungebatur LXX Viri. XXI.

Qui etiam posteriori tempore sub Templo I. & II. tanquam Judices sedebant atque synedrii M. nomine veniebant. §. XXII.

Constabat aut saltem constare poterat ex viris omnium tribuum, etiam Levi. §. XXIII.

Præterea quoque minores senatus per urbes Canaan instituebantur. §. XXIV.

Notantur insuper Judices speciatim ita dicti. §. XXV.

Ut & Reges. §. XXVI.

Subditi erant vel Originarii vel Adventitii: Hi vel totam Religionem Judaicam amplectebantur, vel partem tantum. §. XXVII.

Leges Judicum generales. XXVIII, XXIX.

Speciales in testibus examinandis. XXX.

Auctoritas Magistratus exercebatur in potestate puniendi. Poenæ aliæ non capitales. §. XXXI.

Aliæ capitales. XXXII.

Bb 2

Le-

Leges pro vita instituendæ sunt vel universales vel particulares. §. XXXIII. Illæ veluti in officiis erga Deum consistunt. §. XXXIV.

Aut iis erga proximum: quarum quædam ad præceptum sextum. §. XXXV.

Aliæ ad septimum. §. XXXVI.

Aliæ ad octavum. §. XXXVII. XXXVIII.

Particulares sunt, pauperum. XXXIX.

Bestiarum jura. XL.

Succedunt jura bellica, quæ tribus partibus comprehenduntur. §. XLI.

Prima continet exercitum judaicum. §. XLII.

Hic constabat ex militibus imperantibus & parentibus. XLIII.

Speciatim notandus venit Sacerdos un-

ctus ad bellum. XLIV. Exercitus præclarus ordo, vexillis majoribus & forsan etiam minoribus distinctus. §. XLV.

In medio situm erat summi Ducis tentorium, sive Tabernaculum Dei. XLVI.

Præclarum illum ordinem tamdiu tenebant castra, quamdiu symbolum præsentiae divinæ se non movebat. Motò hoc & signò per tubas datò certò ordine & ipsa movebantur. §. XLVII.

Altera agit de causa belli, quæ Dei præceptum. §. XLVIII.

Tertia de Legibus in bello gerendo, finiendo. Majori vel minori clementia utebantur, prout variabant hostes. Nam quas-

quasdam gentes pacem non oblatâ interimebant. §. XLIX.

Aliis & magis dissitis pacem offerebant, sed sub certis conditionibus. §. L.

Quæ verò eam detrectabant, vi superabantur. §. LI.

Expositis legibus civi-

libus ostenditur illas ita comparatas fuisse, ut Religionem promoverint. §. LII.

Unde nunc fluit, leges, quæ & quatenus ad hunc usum faciunt, non esse abrogatas sub N. Testamento.

§. I.

Primam Legum arbitrariarum speciem superiori capite pertractavimus. Pertractanda hoc altera de legibus civilibus, quæ, Auctore Deo, Mosis ministerio, populo Israëlítico latæ erant, ut distinctum à quavis alia gente corpus civile constituerent, sub Magistratu suo unâ tranquillam, pacificam, amore erga se invicem plenam vitam in Canaan usque ad Messie adventum ducerent.

II. Memoratæ leges omnes alias ejusdem usus in eo superant, quòd à supremo Domino & Regum Rege proficiantur. Unde de earum sapientia, æquitate, atque maxima obligandi vi nemo dubitare valet. Custodietis omnia statuta mea & omnia מִשְׁפָּטֵי judicia mea, atque facietis ea: Ego Jehova Lev. XIX, 37.

Bb 3

III.

III. *Recte autem is Civilia ordinavit qui Rex & Dominus gentis est.* Talis verò Deus. Non quidem eâ tantum ratione, quâ Dominus totius terræ, sed particulari, quatenus sibi Gentem Israëliticam potenti manu iustè acquisivit, inito solenni fœdere à subditis Rex declaratus est atque abhinc solus titulum, pompam & reliqua jura regia usurpavit, sicuti alibi hac de re ex instituto verba fecimus, *disserit, de Theocratia Israelitarum, à Mose præsertim usque ad Saulem.*

IV. *Unde nunc constat formam regiminis Judaici accuratè loquendo Theocraticam dicendam esse,* quod Josephus *l. II. contr. Apionem p. 1071. ed. Col.* commodè notavit. Atque hoc ipsum affirmatur in Sacris *1. Sam. XII, 12. VIII, 7. Jud. VIII, 23.* Hinc qui Judices inferiores constituti, à Deo excitati, electi erant: Hi non secundum proprias sed divinas leges casus cognoscebant, decidebant: Ambigua & quæ gravioris momenti determinanda eidem supremo Domino proponebantur.

V. *Possunt autem hæ leges distinctè considerari, quatenus ex iis quædam statum domesticum; quædam publicum spectant.*

VI. *Status domesticus absolvitur legibus conjuges, liberos, servos concernentibus.*

VII. *Conjugium inire rem, quæ in viri arbitrio stat, esse negant Judæi. Verum lege divi-*

divina & quidem omnium prima Gen. I, 28. præceptum fuisse illudque posteriori tempore perpetuò valere iidem docent

VIII. *Conjugium inituri selectum personarum facere debebant.* Nam (1.) matrimonia contrahi non poterant inter personas sanguineas juxta Lev. XVIII. Excipe peculiarem casum fratris absque liberis defuncti, cujus relictam uxorem quidam fratrum aut si nullos fratres habebat, amicorum in uxorem ducebat, Deut. XXV, 5. 6. Gen. XXXVIII, 6. Matth. XXII, 24. 25. Ruth. III, IV. (2.) Nec contrahi poterant inter partem fidelem & partem infidelem, Idololatricam Deut. VII, 3. 4. Exod. XXXIV, 16. Hinc post captivitatem Babylonicam ejusmodi conjugia jam contracta solvebantur, Neh. XIII, 25, 26. Excipe mulierem Ethnicam captivam certis conditionibus duci concessam Deut. XXI, 10-15. quæ tamen probabiliter Idololatriæ renuntiavit. Ita si qui naturâ Gentiles ad Judæorum Sacra penitus transierunt, & hâc ratione συμπολίται facti, videntur Originariis Judæis non prohibiti, quominus cum iis sive masculis sive fœminis conjungerentur. Solent tamen Magistri distinguere, *notante Seldeno de Jure Nat. & Gent.* l. V. c. 14. dum tradunt cum gentium nonnullarum (quales sunt septem gentes Cananæ) profelytis utriusque sexus vetita esse perpetuò originariis Judæis; cum nonnullarum

sexûs masculi tantum; cum aliarum usque ad generationes aliquot; cum reliquarum simul atque Profelyti facti sunt permiffa fuisse matrimonia. Vide alia, quæ de hac materia supra notavimus c. XV. §. LXIII. Ordinariò thori socios vel focias ducebant ex propria gente. Nec refert, an conjungendi contribules andivfarum tribuum fuerint, nisi in eo casu, quando filia *ἐπίκληρος* ex lege obligata ad conjugium cum masculis ejusdem tribûs faciendum Num. XXXVI, 7.

IX. *Hunc verò in contractu matrimonii modum tenebant.* Primò facta erat desponsatio Deut. XX, 7. Dos dein destinabatur à sponso sponsæ, quæ minimum L. siclorum erat, sponsa virgine existente. *Postea* sponsa in aedes sponsi introducebatur Deut. XX, 7. manebatque in iis, si virginitatis notæ in illa repertæ, Deut. XXII, 13-22. atque etiam postea fidem conjugalem servavit. Alias leges, quæ huc referri possent, jam c. XV. in explicatione præcepti septimi tractavimus.

X. *Liberorum erat Parentibus obedientiam præstare:* Quâ denegatâ, convitiis erga progenitores effusis, lapidibus obruebantur, juxta Lev. XX, 9. Deut. XXI, 18-21.

XI. *Liberi quoque post Parentum mortem eorum bona hæreditario jure possidebant.* Et quidem si filii superstitēs, illi soli jus hæreditandi

habe-

habebant, non filia, nisi fratres nulli fuerint. Num. XXVII, 8. Fratribus non eadem portio dabatur, primogenito dupla, sed una tantum natu minoribus Deut. XXI, 15--18. Quando verò defuncto nulli liberi sive masculi sive foeminei sexûs, transibant bona ad fratres; Si ne quidem fratres ipsi erant, haeredes censebantur patru. His quoque deficientibus hereditas cedebat illi, qui defunctum consanguinitate proximè attingebat, Num. XXVII, 9. 10. 11. quæ paulò aliter à traditionariis exponuntur, vide *Maim. de haered. c. 1.* Duo tamen videntur excipiendi casus, quorum prior si Israëlita, qui uxorem reliquit, absque prole decesserat, tum frater aut consanguineus alius viduam sibi jungens portionem defuncti suam facit Ruth. IV, 9. 10. Alter verò, quando Israëlita ob enorme facinus ad mortem damnabatur, quod Judæi de perduellione intelligendum existimant, opes fisco adjudicabantur Efr. X, 8. Nabothi tamen vinea non solum ob maledictionem in Regem fictam, sed & in Deum rapiebatur. 1. Reg. XXI, 13. 14. 15.

XII. *Familiae membra, quamvis ignobiliora, etiam servi & ancillae erant. Erant autem inter Judaeos duum generum, hinc diversimodè habebantur. Servi erant nonnulli ex ipso populo Judaico; Servi alii ex Cananaeis aliisque nationibus.*

XIII. *Servos Hebraeos quod attinet, in*

Bb 5

servi

servilem statum devenire valebant ex tribus causis. I. Vel quando paupertate preffi (extra quem casum venditio sui non licita erat) seipsos vendebant Lev. XXV, 39. II. Vel qui ex sententia Magistratus servituti addicebantur, Exod. XXII, 2. Deut. XV, 12. non habentes, quo furtum restituerent. III. Vel denique, qui ex Patris pauperrimi voluntate servitutem subibant Exod. XXI, 7. Utrumque sexum à Magistratu aut parente vendi posse ex locis allegatis probabile, licèt Judæi ex antiqua traditione referant fœminam ob furtum à judicio non vendi v. *Seld. de Jur. N. & G.* l. VI. c. 7.

XIV. *Servi aut servæ Hebrææ leniter tractandi erant*, jubente supremo Domino Lev. XXV, 43. *Non dominaberis in illum בפרך sevē*, uti dominabantur Ægyptii Exod. I, 13. 14. *sed time Deum tuum.* Quandoquidem enim idem hero & servo in cœlis Dominus, idem jus ad bona spiritualia, asperitatem quamvis ponere tenebatur Dominus Israëlita atque eum aliter habere, ac habebat mancipium ex Gentilismo.

XV. *Nec servitium perpetuò durabat.* Is enim, qui à Magistratu servituti addicebatur, peractis sex annis libertati reddebatur Exod. XXI, 2. & cum eo uxor Judaica, si maritatus erat. Si verò tempore servitutis, hero disponente, cum uxore Ethnica conjunctus, uxor & qui liberi progenerati, In statu servili manebant.

Con-

Contigit quoque ut expletis sex annis ex amore, quo in dominum, uxorem, liberos ferebatur, libertati prætulerit servitutem, in quo casu auris, probabiliter dextra, subulâ ad januam perforabatur nec unquam manu mittebatur, nisi adventante Jubilæo Lev. XXV, 40. An vero is ex Hebræis, qui seipsum servum vendidit, etiam anno septimo libertate gavissus fuerit, non adeò liquet. Maimon arbitratur talem posse operam servilem ultra sexennium polliceri. *de servis c. II.* Quo jure ancilla Israëlita fruatnr, vide Exod. XXI, 7--12.

XVI. *Cum servis Cananæis res aliter se habebat.* Et durius tractabantur illi & servitium serviebant perpetuum Lev. XXV, 43--47. Non tamen eò favire licebat domino, ut oculo vel dente servum mutilaret, aliàs tenetur eum ea propter libertati restituere, Exod. XXI, 26. 27.

XVII. *A servis differebant mercenarii,* sive Israëlita, sive proselyti, saltem ex aliqua parte, qui pro certo pretio unam alteramve diem operam suam elocabant, Hinc Job. VII, 1. Es. XVI, 14. Hi rigida lege non habebantur uti mancipia posterioris speciei Lev. XXV, 40. atque quovis die jus mercedem postulandi tenebant Lev. XIX, 13.

XVIII. *Haec domestica. Publica magis sunt, quae dicturi. Et haec rursus dividuntur in leges, quae in pace obtinebant & concernebant*

nebant ipsum corpus Iudaicum in se spectatum. A quibus differunt illae, quae in bello in usu.

XIX. Tempore pacis considerandi veniunt, qui Magistratum gesserunt & qui illi subiecti fuerunt. Magistratus quidem summus penes solum Deum, sed de hoc nunc non agimus. Subalternus ex hominibus constabat, qui pro vario tempore admodum variabat. In eo constans, quod nullas leges magni momenti ex proprio arbitrio fingendi licentiam potestatemque habuerit. Si verò aliquando adversa decreta Iudices condiderunt, non jure suo usi sunt, potius contra id egerunt.

XX. Et primò quidem à supremo Domino dominus & iudex subalternus constitutus erat Moses Num. XI, 14. 15. quod abunde ex tota ejus Historia constat.

XXI. Quando verò lites nimium auctae atque plures majoresque, quàm ut illis omnibus decidendis unus, fidus sapiensque licet iudex, par fuerit, exorta, Deus ad Moysi intercessionem septuaginta alios eligendos statuit eumque caput constituit Num. XI.

XXII. Hunc Senatum, qui posteriori tempore communiter Synedrium M. vocatur, sub Templo primo & secundo sedisse Judaei vulgò referunt. Et rectè: nam quæ ratio ejus constituendi, ea & potior ratio conservandi.

Dan-

Dantur quoque ejus vestigia in Sacris 2. Chron. XIX, 8. 10. Ezech. VIII, 11. maximè Scriptis N. Testamenti monumentisque Judæorum.

XXIII. *Constabat is aut saltem constare poterat ex personis omnium tribuum, etiam ipsius Levi, imò hujus maximè, nam Sacerdotum & Levitarum causas quasvis cognoscentium frequens mentio in Lege. Hi legem, ad quam judicandum, optimè norant. Habebant quoque ampla stipendia, ut non solliciti esse debuerint de victu amictuque quærendo, prout reliquæ tribus. Commentum itaque merum quorundam est, qui duplicem Curiam Ecclesiasticam unam decidentem causas Ecclesiasticas, Politicam alteram examinantem civilia fingunt. Sacerdotes, Levitæ, qui in numerum judicum ascripti, omnes causas, etiam civiles, uti qui ad hanc dignitatem ex reliquis tribubus cooptati erant, inquirebant, definiebant, v. Deut. XVII, 8. 9. Deut. XXI, 5. Num. XI, 16. &c.*

XXIV. *Praeter Senatum ex hominibus summum, qui prius juxta Tabernaculum Num. XI, 16. postea Templum conveniebat, plures alii per urbes Canaan dispersi instituebantur Deut. XVI, 18. Neque enim ob rem quamvis, etiam levissimam, Synedrium M. ad eundum erat sed graviolem nonnisi Deut. XVII, 8. 9. Differunt hi ab illo judicum numero, confessus loco, Auctoritateque.*

XXV.

XXV. *Notandi etiam sunt Magistratus temporarii, velut שפטים Judices*, magna potestate instructi, tempore periculoso plurimum immediatè à Deo electi, qui populum ex servitute, miseria eriperent. Hi tranquillitate redita primum postea locum in gente habebant, sicuti hoc ex Judicum Historia constat.

XXVI. Samuele judicum, quos strictè ita appellare solemus, ultimò vivente Gens Judaica stultè & præfractè Regem expostulabat, 1. Reg. VIII, 5. ingratum non solum se præbens erga Samuelem sed præprimis Deum, formam Theocraticam aspernando, Regi suo cælesti quadantenus diffidendo, pravè Gentiles imitando l. c. cf. 1. Sam. X, 19. XII, 12. Hæc forma nonnisi durabat ad captivitatem Babylo- nicam. Interea tamen temporis, uti jam supra indicatum, etiam confessus M. aliique minores in Canaan erant 2. Chron. XIX. Reges quoque absoluta potestate non fruebantur, Deut. XVII, 14 f. cf. etiam 1. Sam. VIII, 11--22.

XXVII. Missis aliis Magistratibus minoris observationis *de subditis dicendum. Erant illi vel indigenae ex Parentibus Hebraeis, vel גרים adventitii ex alia terra & Religione*. Hi non solum posteriori tempore in duas species divisi sed jam Mosis tempore. Quidam enim Orignariis æquiparantur atque ad easdem

easdem cum illis leges adstringuntur Exod. XII, 48. Lev. XVII, 15. Alii non. Deut. XIV, 21. Illi cum regione etiam Religionem penitus deferrebant totamque legem Mosaicam subibant. Hi non item.

XXVIII. Porro consideranda sunt Leges, ad quas Magistratus judicare & ad quas Subditi vivere debebant.

XXIX. Magistratus, qui constare debebat ex Viris sapientibus, prudentibus Deut. I, 13. fortibus, quique Deum timent, veritatem diligunt, lucrum verò odio prosequuntur, Exod. XVIII, 21. causas quasvis juxta Legem cognoscere, sententiam non precipitare, nec eam habitâ προσωποληψία sive divitis sive pauperis in hanc vel illam partem flectere Lev. XIX, 15. in rebus ambiguis magnique momenti Deum adire tenebantur.

XXX. Et quemadmodum lites plurimum testium testimonio decidenda, ita magna in illis examinandis prudentia iudicibus necessaria erat. Unus aliquis non audiebatur, Deut. XIX, 15. maximè in rebus criminalibus, Deut. XVII, 6. minimum duo requirebantur. Licet unus videatur causa esse, quominus uxor de adulterio suspecta potu amaro potanda Num. V, 13. nam quo in casu testimonium humanum dici potest, Deus per miraculum nullum dicit. Qui testimonia perhibebant, accuratè admodum interrogabantur, Deut. XIII, 14. & qui falsi deprehenfi, ea aut simili afficiebantur pœna, qua is, contra quem

quem testati erant, testimonio vero reperto afficiendus fuisset.

XXXI. *Quum Magistratum Auctoritas nulla sine potestate puniendi, Iudaici quoque ea pollebant.* Respondebant autem *pœna* criminibus: Quare variantibus his variabant & illæ. *Nonnullæ non capitales; capitales aliæ.* Illæ veluti *8. Talio* Exod.

XXI, 24. *oculus pro oculo* &c. Est ea aliquando identitatis & quidem in causis capitalibus semper Num. XXXV, 31. Aliquando similitudinis Exod. XXI, 19. 22. 25. *3. Multa*, qua duplum aut quadruplum vel quintuplum aut id, quod Judici visum, solvendum erat, Exod. XXII, 3. XXI, 22. *3. Venditio* de qua supra §. XIII. *7. Flagellatio*, qua is, qui flagella promeritus erat, præsentè Judice 40. ictus, nunquam plures, sæpius minores accepti Deut. XXV, 1-4.

XXXII. *He sive pœna capitales.* Lex trium tantum disertè meminit, lapidationis scil. combustionis & decollationis, quarum illa gravissima, ista minùs gravis, hæc levior utrâque communiter habetur & rectè. Nam eorum, qui ad lapidationem damnati, majus crimen in Sacris notatum est, quàm comburendorum aut decollandorum. Præter has Judæi etiam memorant strangulationem. Verum nomen ne quidem exstat in Mose. Est ergo ordinationis recentioris, recepta in illis capitalibus pœnis, quæ nulla supplicii specie in Lege circumscripta sunt.

sunt. Putabant itaque ampliandos favores esse, & quod generaliter dictum, explicandum per speciem mortis levissimam. Recepta quoque suspensio à ligno, sed ea in usu penes illos, qui jam lapidati erant. Non ergo vivi suspendebantur; uti qui apud Romanos cruci affigi solebant Deut. XXI, 23.

XXXIII. *Leges, ad quas vita ducenda, sunt universales & particulares. Illæ, quæ omnes obligant ad officia erga Deum aut proximum; Hæ verò certas tantum personas concernunt.*

XXXIV. Nolumus nunc de officiis erga Deum differere, utpote hac de materia jam supra c. XV. actum, sed ea tantum memoramus, quæ certâ ratione ad civilia spectant: scil. illi, qui aliud Numen quàm Israël agnoverunt, aut coluerunt sub imagine aliove instrumento idololatræ, vel blasphemârunt, sive in honorem ejus diem septimum non integrum in quiete consumpserunt, ultimo eoque lapidationis gravissimo supplicio afficiebantur, v. Lev. XX, 2. XXIV, 16. Num. XV, 36.

XXXV. Præcepto sexto vetatur læsio famæ, corporis, vitæ proximi. (1.) Hinc qui adversus primum peccabat, ut qui castam virginem sibi desponsabat, postea ex odio illam vitiatam traducebat, pro redimendo convitio C. siclos puellæ patri solvere, ipsam puellam verò

Cc

Con-

Conjugem perpetuò cognoscere tenebatur. Deut. XXII, 19. (2.) Qui alterum percutiebat pro diverſitate vulneris, perſonæ vel in libertate vel in ſervitute exiſtentis, ad diverſam pœnam damnabatur. Servus oculo mutilatus libertati dandus erat. Si verò percuſſus liber, talio identitatis vel ſimilitudinis valebat. Compensandum erat amiſſi membri, neglecti laboris damnum, ſolvendæ quoque ſanationis expenſæ. Exod. XXI, 19. Lev. XXIV, 20. dolori, deformationis notæ ſatisfaciendum fuiſſe Magiſtri inſuper referunt. Fœtus utero excuſſus, ſine noxa lethali tamen, verberantem pœnæ pecuniariæ ſubjiciebat. Exod. XXI, 22. (3.) Qui verò animò deliberatò interficiebat proximum, interficiendus & ipſe Exod. XXI, 12. Excipe גאל הרים *vindicem ſanguinis*, qui conſanguinei mortem vindicandi jus habebat Num. XXXV, 19. Dein *Zelotas*, qui zelo pro gloria Dei accenſi enormes peccatores in facinore publicè deprehenſos è medio tollebant, quo Pinehaſi factum à Deo laudatum, hinc in exemplum tractum referendum eſt. Etiam illis, qui caſu alios occiderant, vita relinquebatur. Tenebantur tamen ad mortem Pontificis exulare atque in uno ſex Aſylorum, quorum tria trans, tria alia cis Jordanem erant, tamdiu vivere, ſi à manu vindicis tuti eſſe volebant. Num. XXXV, 6--34.

XXXVI. Adulteri vel adulteræ morte ple-

te-

tebantur Lev. XX, 10. Eadem afficiebantur, quorum concubitus præter naturam Lev. XVIII, 22--30. Nec tolerandi scortatores, prostibula Deut. XXIII, 17. Qui cum sponsa rem habebat, unâ lapidibus obruebantur, puta si facinus intra urbem patratum. Non vero si in agro Deut. XXII, 23--28. Virginem qui compressit, jubebatur solutis L. siclis eam in uxorem ducere Deut. XXII, 28. 29. aut puella patre conjugium renuente dotem Virginitatis dare, Exod. XXII, 16.

XXXVII. Qui res alienas contrectabant, variè puniebantur. Res Deo consecrata & furto ablata auferentem morti subiciebant, Jos. VII, 10--26. Eidem subiciebantur plagiarii Deut. XXIV, 7. Non item fures sive pecuniæ sive pecorum aut alius boni. Sed hi pro diversitate furti diversimodè ad restitutionem, duplum, quadruplum, quintuplum, vel opibus deficientibus ad servitium damnabantur, Exod. XXII, 2- XXI, 37.

XXXVIII. Ad hanc classẽ etiam pertinent leges de terminis ad hæreditates determinandas positis non movendis Deut. XIX, 14. emtionibus & venditionibus justis. *Non facietis injustitiam in iudicio, in dimensione rerum cubito vendi solitarum, in pondere eorum, quæ appenduntur, mensura capacitatis rerum humidarum vel aridarum, &c.* Lev. XIX, 35. Deut. XXV, 13--16. jure depositi, Exod.

Exod. XXII, 6--13. commodati c. c. 13. 14. rerum amissarum c. c. 9. agrorum depastorum c. c. 4. aut incendio vastatorum c. c. 5.

XXXIX. *Magis particulares leges sunt, quæ certas personas concernunt, veluti pauperes*, quibus admodum benignè prospectum. Nam (1.) pro mutuo usura non erat accipienda Exod. XXII, 25. (2.) Pignus ad vitam necessarium, si quod creditori datum, mox illis reddendum erat Exod. XXII, 26. 27. (3.) Imò debitum septimus quisque annus perimebat, Deut. XV, 1. 2. (4.) Quinquagesimus verò pauperi agros suos hereditarios vendere coacto restituebat Lev. XXV, 14. &c. (5.) Dein Israëlita demessuri angulum agri in bonum pauperum relinquere tenebantur Lev. XIX, 9. XXIII, 22. (6.) Tenebantur quoque לקט *spicilegium* five spicas, quæ in terram extra manipulum decidebant, iisdem colligendas concedere, l. c. (7.) Non minus racemuli tenuiores. (8.) Aut etiam grana uvarum decidua ex lege pauperum erant Lev. XIX, 10. (9.) Insuper si manipulus, cujus possessor non meminit, in agro relictus, egenis cedebat Deut. XXIV, 19. (10.) Tandem decima quovis anno tertio & sexto circuli septennalis præter alios ad hos quoque pertinebat Deut. XIV, 28. (11.) Ultimò nunquam non pauperi succurrendum, si liberalitate divitum indigebat Deut. XV, 7. & tum quidem

ma-

Sub
rimè, quando
VI, 11. 14. Ne
XI. Hañenu
nus respiciunt
clias spectant
m se habent
ræ. Tanqu
antur, notari
offenderis b
errantem,
si videris
combentem
quando re
negligit præ
Deo, quomo
ad incommo
v. 19. Noli
pure. (3.) I
das arvis cora
supra terra
mater cubet
pes matrem a
matrem &
& prolon
om obiturabis
Deut. XXII, 10. N
lari penæ (n
betias cadu
Exod. XXI, 28. 2
ram aut mu

maximè, quando festa celebrabantur, Deut. XVI, 11. 14. Nehem. VIII, 11.

XL. *Hactenus recensuimus jura, quæ homines respiciunt, sed quoniam etiam nonnulla bestias spectant, proferenda & illa. Quædam se habent tanquam beneficia. Alia ut pænæ. Tanquam beneficia, ea quæ sequuntur, notari possunt. (1.) Exod. XXIII, 4. 5. Si offenderis bovem inimici tui aut asinum ejus errantem, omninò reducito eum ad illum: si videris asinum osoris tui sub onere suo succumbentem & cessares relinquendo ipsum relinquendo relinqueres (te) cum eo. Nam qui negligit præceptum Dei, negligitur quoque à Deo, quomodo verba obscura videntur haud incommodè transferenda. (2.) Exod. c. c. v. 19. Noli hædum in lacte matris suæ coquere. (3.) Deut. XXII, 6. Cum occurrerit nidus avis coram te in via in quavis arbore, aut supra terram, in quo sunt pulli vel ova, & mater cubet super pullos aut ova, non accipies matrem cum pullis. Dimittendo dimittes matrem & capies pullos, ut bene sit tibi & prolonges dies (4.) Deut. XXV, 4. Non obturabis os bovis, cum triturat. (5.) Deut. XXII, 10. Non arabis bove & asino simul. Quasi pænæ (neque enim pænæ propriè dictæ in bestias cadunt) sunt sequentes leges (1.) Exod. XXI, 28. 29. Si quando cornu feriet bos virum aut mulierem ut moriatur, lapidando*

lapidabitur bos nec comedetur caro ejus, dominus tamen bovis innocens erit. Quod si bos cornupeta ab heri & nudius tertius fuerit testatumque hoc factum domino ejus, nec custodivit eum, atque sic occidit virum aut fœminam, bos lapidabitur, etiamque dominus ejus occidetur. (2.) Lev. XX, 15. Vir qui arrogavit sibi cum jumento concumbere, morte afficitur: jumentum quoque ipsum occiditote. Item mulier quum accesserit ad ullum jumentum, ut incubet sibi, occides mulierem & jumentum ipsum. (3.) Quando urbes integræ Deo devotæ, ne quidem bestiis parcendum erat. Jos. VI, 24.

XL I. Tandem sequuntur leges bellicæ. Ad quas rectius cognoscendum tria notanda sunt. I. Quæ fuerit exercitus Israelitici ratio. II. Quæ dein belli causa. III. Quæ insuper in bello gerendo finiendoque leges.

XL II. I. Rationem exercitus Israelitici cognitari attendimus ad personas, ex quibus constabant ejus castra, & motum.

XL III. Constabat exercitus ex militibus imperantibus & parentibus, sive פקודי החיל præfectis copiarum Num. XXXI, 14. & צבא exercitu. Imperantes erant diversæ dignitatis. Summus (sermo autem est de summo ex hominibus, non Deo, qui aliàs Israëlitarum נאִת' יִצְחָאֵר supremus Dux erat) Dux veluti
Moses,

Moses, Josua, Judices, postea Reges. Quorum tempore erant etiam Duces subalterni, qualis Joab 1. Reg. I, 19. Abner 2. Sam. II, 8. Ducibus inferiores erant שרי האלפים *Chiliarchæ* Num. XXXI, 14. וראשי האלפים. Chron. XII, 20. His שרי המאות *Centuriones*, Num. XXXI, 14. 2. Reg. XI, 4. *Centurionibus* שרי חמשים *Quinquagenarii*, Deut. I, 15, 11. 2. Reg. I, 10, 13. *Minimi שרי עשרות Decani* Deut. I, 15. nisi his postponere velis שטרים qui voluntatem Ducis in castris nuntiabant Jos. III, 2, 3. *Reliquum exercitum constituebant ii, qui præfectis modò recensitis parebant.* Atque hi requirebantur fortes, Deo confidentes, justæ ætatis, annorum minimum viginti, Num. I, 3. quorum animus tendit ad hostem Dei & gentis suæ perdendum. Hinc exautorabantur ignavi, molles, timidi, aut quorum animus ea, quæ domi chara sunt, perpetim desiderabat, vide Deut. XX, 8, 9.

XLIV. *Persona notatu digna quoque erat Sacerdos, castrensis veluti præco, exercitum ad fiduciam Deo habendam fortiter adhortans, Deut. XX, 2, 3. Hunc Magistri Sacerdotem belli causâ unctum vocare solent.*

XLV. *Quum exercitus decus atque vis in bono ordine non parum collocata sit, exercitus quoque Israeliticus præclarum ordinem tenebat.* Unde Bileam eum intuens in laudes ejus erumpebat Num. XXIII, 2-10. Con-

408 Cap. XVII. De Legibus Civilibus
stabat is ex duodecim tribubus, quæ ita divisæ,
ut tres ex iis castra fixerint ad ortum veluti Juda,
Ischaschar, Zabulon Num. II, 3--10. Tres aliæ
ad meridiem, quemadmodum Ruben, Simeon
& Gad c. c. v. 10--18. Aliæ tres ad occasum
& quidem Ephraim, Manasses, Benjamin eod.
c. v. 18--25. Tandem tres reliquæ ad Septen-
trionem & erant Dan, Ascher & Naphtali. c. c.
v. 25--33. Tribus tribubus ad eandem plagam
metantibus unum vexillum majus datum erat,
Num. II, 3, 10. 18. 25. An præter vexilla ma-
jora signa alia minora, quæ familias distingue-
bant, fuerint, non satis liquet. Nisi ea indi-
centur vocabulo חַמָּה Num. II, 2.

XLVI. *Medium locum tenebat Tentorium
Dei* ceu independentis Ducis. Ut enim om-
nibus æqualiter adesset, eos consilio & auxilio
juvaret, regeret, hunc locum maximè commo-
dum sibi elegit Israëlitarum Rex. Prope illum
castra figebant Ministri, quasi σωματοφύλακες &
quo quis dignior, castris Dei propior erat,
Num. III, 23, 29. 35. 38.

XLVII. *Atque eâ, quâ descripsimus ratione,
fixa erant castra exercitus Judaici, permane-
bant que tam diu, quam diu gloriosa nubes super
Tabernaculum quiescebat. Quando verò
hæc locum suum relinquebat, precibus à Mose
fusus Num. X, 35. signo, sono tubarum edito, mo-
venda quoque cuncta tentoria. Et hoc quidem
ordi-*

ordine. Primò à Levitis vel etiam Sacerdotibus humeris gestabatur arca. Tum Juda, Ischar & Zabulon proximè sequebantur: Post hos Gersonitæ & Meraritæ: Subsequebantur Ruben, Simeon & Gad. Hos excipiebant Kahatitæ. Tandem Ephraim, Manasses & Benjamin. Ultimi ibant Dan, Ascher & Naphthali. Num. X, 13-f.

XLVIII. II. *Belli causa*, de qua secundò locò, *expressum mandatum Dei erat*; saltem ratione quorundam populorum veluti Deut. XX, 17. *devovendo devovebis Chittæum, Amoræum, Cananæum, Perisæum, Chivæum, Jebusæum, quemadmodum præcepit tibi Jehova Deus tuus* &c. XXV, 19. *Delebis memoriam Amalecki.* Quæ quoque causa justissima, atque militem persuasum reddebat, se nihil agere, quò conscientia lædatur: Quippe Deus absolutus Dominus, qui perdere potest. Is quoque tale præceptum non adversus aliam gentem dedit, quàm quæ enormibus sceleribus iram suam provocaverat. Nec tam Israëlita bellum gessisse censi possunt, quàm testes & aliquando executores (ita tamen ut brachio Dei id omne singulari modo adscribendum, quod factum erat) extraordinariorum judiciorum Dei in sceleratas gentes, quarum regio illis à supremo Domino dono dabatur, Exod. XXIII, 27-31. Deut. VII, 1. 2. cujus exemplum clarissimum in urbe Hierichuntina prostat Jos.

VI. *Quod verò Magistri dicunt, aliam belli causam arbitrium Senatus M. fuisse, atque penes eum steterisse bellum legitimum in quamcunque gentem, non antecedente injuria aliqua, decernere, id ex Sacris hætenus probatum nondum legi.*

XLIX. III. *Bellum majori vel minori clementia duxerant, prout variabant hostes.* Septem populi, Amalekitæ quoque, nullâ pace oblatâ penitus perdendi erant juxta Deut. XX, 15. 16. XXV, 19. Jos. IX, 7. 9. ne eadem loca inhabitantes ad abominanda facinora, quibus illi dediti erant, seducerentur. Deut. XX, 18. Transeo alias causas. Nec obstat Jos. XI, 19. Nam id jam peculiare est, quòd omnes illæ gentes fortunam belli tentare maluerint quàm gratiam expetere. Hinc tamen necessariò non fluit, Israëlitas pacem atque fœdus sub certis conditionibus prius obtulisse; Quum contrarium potius ex eadem historia colligendum nobis sit, quandoquidem Gibeonitis pacem poscentibus responsum datum; *Quomodo pangam tecum fœdus? fortè in mediomei habitas*, Jos. IX, 7. Et detectò dolò maluissent fœderatos suos interimere, nisi juramentum obtulisset v. 18. 19.

L. Sed Gentibus, quæ urbes diffitas incolebant, pax non tamen sine duris conditionibus offerebatur. Conditiones autem hæ erant. Tota urbs tributaria facta redactaque in statum

tum servilem Deut. XX, 11. ספ sive tributum præter solutionem pecuniæ aut aliarum opum annuam etiam corporis ministerium ex Victoris jussu faciundum continet, quemadmodum ex vocis usu facillè patet. Addunt Sapientes, victos obligatos quoque fuisse septem Noachi præcepta fuscipere, quod licet totidem verbis adstrui nequeat, haud tamen improbabile videtur: de Gibeonitis Jos. IX. clarè legimus, quòd avitæ Idololatriæ valedixerint.

LI. *Quæ verò ejusmodi pacem detrectabant, vi superabantur, sortemque longè deteriorem subibant.* Nam masculi majorennnes interficiebantur; minorennium, fœminarum, bestiarum quoque vitæ parcebant quidem, at præda victori fiebant Deut. XX, 13. 14. Hoc etiam lege bellica cautum, ne arbores, quæ fruges in esum hominis proferebant, succiderent perderentque, succiderent verò reliquas, easque in usus bellicos adhiberent, Deut. XX, 19. 20.

LII. *Postquam nunc plenius leges judiciales gentis Judaicæ recensuimus, liquidum est illas ita comparatas fuisse, ut Religioni minime adversatæ fuerint, sed eam potius præclare stabiliverint protexerintque adversus quamvis impietatem.* Quæ demum genuina indoles bonæ, & quæ Deo placet, Politix. Commendatæ illæ sunt à pietate erga Deum, ceu quæ gravissimâ morte tollendos illos esse definiebant,

412 Cap. XVII. De Legibus Civilibus
bant, qui vel aliud Numen dixere, aut non decenti modò vel præscriptò tempore illud coluere, five qui convitium aliquod impuro ore protulerunt. Commendatæ dein à justitia erga proximum, amore ejusdem, inimici quoque, liberalitate & clementia erga pauperem, servum, honore erga Superiores, Senes, Parentes. Commendatæ denique à castitate, temperantia, à quibusvis observanda.

LIII. *Unde nunc porrò fluit, leges has, quæ & quatenus ad hunc usum faciunt, sub N. Testamento non abrogatas esse.* Ex quidem leges, quæ typo permixtæ, uti reditus homicidæ involuntarii Pontifice Aaronicò defunctò; aut quæ peculiariter ad Politiam Judaicam accommodatæ, quales de filiabus hæreditariis; vel etiam quæ ob *σκληροκαρδίαν* à Mose latæ, quemadmodum libelli repudiî, eæ, inquam, leges sub hac forma Christianos non obligant. Attamen eadem obligant ratione justî, æqui, quod ejusmodi legibus simul inest. Quamvis nobis non sit Pontifex Aaronicus, is tamen, qui eadem animo haud malo, casu aliquo, commisit, in vita servandus. At illæ leges, quæ in jure communi fundatæ, pro gloria divina faciunt, justitiam, castitatem, sanctitatem, amorem, liberalitatem erga indigum defendunt, promovent, Christianos non minùs quàm Judæos, imò certâ ratione validiùs Christianos obstringunt. Nam hæ nunquam à Christo aut Apostolis abrogatæ sunt.

Nec